2889.

1

Clarissimo, Doctissimoque viro D: Joanni Amman
med: Doc: ex Imperiali Academia Scientiarum
S: P: D: Jo: Antonius Targionius med: flor:

Targioni Tozzetti
1712 † 1783

Miraberis profecto, vir cl: quod ex tam longinquis oris pro desiderata aurea Petri Antonii Michelii Epistola, aliam infimi eius discipuli accipias. Desines tamen mirari, et officium hoc qualecumque erga te meum aequi, bonique consules spero, cum sciveris Celeberrimum Petrum Antonium Michelium Urbis nostrae lumen longiore vita dignum hora sexta noctis diei primae (st: n:) anni huius, sub initium vero nonae diei gravissimae Pleuropneumoniae e vivis maximo Litterariae reip: detrimento sublatum fuisse. Multis ille bonis flebilis occidit, nulli flebilior quam mihi ultimo, et dilecto per sex annorum spatium discipulo suo. Quem mihi moerorem intulerit, quas mihi lacrymas expresserit triste hoc spectaculum, solus credere potest is, qui praeceptorem aliquem nactus unquam sit quem amaret vehementissime, et a quo vicissim vehementissime amaretur.

1 v

memini apud Illustrem illum Animam vidiſse me plurimus ab
hinc mensibus Epiſtolam tuam doctiſsimam super Septemtrionali=
um regionum pulcherrimis Plantis, quam cum summa animi sui
voluptate sepius relegit Michelius, amicisque communicavit, ut
cognoscerent quam brevi apud vos creverint Literariae Artes nuper invectae.
Memini item vidiſse apud eumdem, aliam elegantiſsimam Epistolam
viri cl: (cuius nomen memoria excidit) Botanices Profeſsoris in urbe
Moska altera metropoli vastiſsimi istius Imperii. Uni ex istis Epistolis
Tuae primum, ni fallor, responsionem facere cupiens pridie quam aegro=
taret, semina quarumdam Plantarum Italiae Indigenarum partim ipse
paraverat, partim me parare jusserat: Haec ego in eius Hereditate tandem
reperta redemi, et ad vos mittere statim decrevi: Quoniam vero tempus
ipsis serendis aptum praeterlaberetur, si Moskoviticae navis occasionem
expectarem, hemerodromo tradidi, sperans vos impensam maiorem cum
utilitate facile laturos. Epiſtolam tuam, et alteram Botanices Pro=
feſsoris Moskani inter scripta Micheliana nondum expiscari valui,

2

quapropter ignoscetis ambo, si praecisam responsionem afferre non valeo.
Te vero, Cl: Amman, etiam atque etiam obtestor, ut ad Botanicum Moskanum Amicum tuum scribere digneris, meoque nomine salutare, et si tibi videbitur, seminum portionem dare.

Decreveram etiam ad vos mittere exactam Historiam Vitae, et meritorum cel: Petri Antonii Micheli, una cum eius Imagine, Indice operum ineditorum, et Specimine Musei. Sed plura molestissima negotia, et non bene firma valetudo prohibuere. Eam tamen habere poteritis cum velitis, quam jussus sum concinnare imprimendam in Ephemeride Veneta Eruditorum anni huius. Praeterea si mihi fidelissimo Micheli discipulo, eius operum posthumorum edendorum ardua provincia (quod timeo) a Curatoribus Michelianae hereditatis demandabitur, Elogium Viri de re literaria meritissimi praemittetur.

Interim si quid ex nostris hisce regionibus Tibi, Cl: Amman, Amicisve tuis, praesertim Professori Moskano arrideat, certiorem me facias etiam atque etiam Te rogo: non enim futurum difficile confido, ut

2v

desideriis tuis facere poſſim satis, cum jam R: C: Ser:mi M: D: Etruriae clementiſsimo suo motu proprio (ut vocant) die tertia anni huius Botanices Profeſsionem in Florentino Lyceo mihi demandaverit, Titulo insuper Botanici Regiae Domus suae decoraverit: Societas item Botanico=Philosophica Florentina, Regii Simplicium Horti custodiam mihi commiserit. Huius Horti Plantarum Catalogum a Michelio inchoatum, ante Maium insequens imprimi curabo. Si aliqua ex Plantis inibi cultis, ut et nostrae Italiae indigenis tibi placuerit, scias non aliud tibi opus eſse quam compendiosam, et tutam viam aliquam indicare. Vale vir clariſsime, meque humillimum clientem tuum ama.

Dabam Florentiae XVIII Kal: Mart: A: S: MDCCXXXVII.

H: n: